

Peter of Trabibus, Commentary on the Sentences (Florence, Bibl. Naz. D. 6. 359)

Transcribed by Tuomas Vaura¹

Abbreviations

add.	addidit
del.	delevit
fol.	folium
marg.	marginē
om.	omittit
[...]	additio
<...>	additio editoris
(?)	lectura incerta

Liber 2, distinctio 38, circa 1, quaestio 1. (fol. 41vb)

Utrum voluntas sit bona ratione finis?

Primo quaeritur, utrum voluntas sit bona ratione finis? Et videtur quod non, quia si ita esset, cum omnis homo velit beatitudinem et propter ipsam alia velit, omnis homo esset bonus.

Item, omnis agens voluntarie vult bonum et non malum. Ergo si propter bonitatem voliti est bona, omnis voluntas esset bona, quod falsum est.

Contra, cuius finis bonum est, ipsum quoque bonum est, etc.

Respondeo, dicendum, quod quaerere, utrum voluntas sit bona ratione boni finis, est idem ac si quaereretur, utrum voluntas sit bona ex hoc quod in actu sua intendit bonum finem, in quam opus suum refert et ordinat.

Ad quod dicendum, quod verum est duabus circumstantiis sub intellectis. Una est quod [sit]² simpliciter bonus secundum veritatem, non solum secundum extimationem, et quod sit bonus secundum rationem finiendi, id est, quod sit melius quam ea, quae sunt ad finem, quia minus bonum non habet rationem finiendi maius bonum.

¹ The transcriber would like to acknowledge the funding from the European Research Council for the research project *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* under the grant agreement n. 637747. I would like to thank Annemieke Verboon, who has helped me to improve the transcription. The line division of the transcription follows the line division of the manuscript.

The transcription may be cited as follows:

Peter of Trabibus, *Lectura* lib. 2, d. 38, c. 1, q. 1, Tuomas Vaura (ed.), *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* -project. URL = <<https://blogs.helsinki.fi/rationality-in-perception/texts/>>. 2019.

² Add. in marg.

Secunda condicio est, quod illud, quod ordinatur ad finem, sit ordinabile, nec dicat deordinationem de se, sed oportet quod habeat ordinabilitatem ad finem. Exemplum, si quis vult lucrari ut liberet innocentem, lucrari enim habet ordinabilitatem ad talem finem. Sed si vellet furari vel mutilare(?), non posset ordinari, quia de se dicit inordinabilitatem.

Unde dicendum ad quaestionem, quod voluntas dicitur bona propter bonum finem, sic intellectum ut dixi.

Ad primum

argumentum, dicendum, quod licet velint omnes beatitudinem voluntate naturali, et generali, et indeterminate, non tamen volunt omnes beatitudinem veram in speciali, immo exstimatam quaerunt sicut eis plus sapientiae et ibi quiescunt. Et ideo non sequitur quod omnes sint boni.

Ad secundum, dicendum, quod similiter currit, quia agens a proposito non intendit semper verum bonum, sed apparens. Et ideo non est bonum, sed est bonum eo modo quo illud est bonum, scilicet apparentur sibi.